



**D**iuus Henricus filius fuit Henrici ducis Ba-  
 uariæ, qui cognomento Heintzelin, à par-  
 ra corporis statura dicebatur. Erat is ex Henrico  
 Rixoso, fratre primi Ottonis prognatus, qui Adal-  
 heidim ducis Arnolphi uxorē ducens, Bauariam  
 adeptus fuerat. Mater uerò erat Bertha filia ducis  
 Lotharingiæ insigni pietate & pudicitia prædita.  
 Itaq; Henricus à teneris annis in bonarum litera-  
 rum studio, quibus ad sobrietatem oblectabatur,  
 in oppido Saxonix Hildesheim educatus fuit, u-  
 bi postea Episcopatum instituit, atq; multis do-  
 nis & priuilegijs ornauit. Inter equales uerò emi-  
 nebat eruditione & uirtute, ut magna spes in eo  
 iam tum relucere uideretur. Cum ergo Ottone tertio defuncto, iuxta eius for-  
 mulam ab electoribus Cæsar Romanorum esset eligendus, omnium penè uo-  
 ta in hunc Henricum, tanquam principem illustrem, atq; moribus & uite san-  
 ctimonia clarissimum, inclinarent. Solus Heribertus Coloniensis præsul, à cu-  
 ius ore plerique pendebant huic aduersus, insignia regni ui tenuit. à quo ta-  
 men postea Henricus, tanquam hæreditario iure sibi pertinerent, ui extorsit.